

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0828**

**0826**

**0832**

**0822**

255

ruptis vinculis suae obedientiae sine concessu et licentia sua  
claustra exsilierunt et agminibus armatorum se immiscuerunt.  
Qui dum cruce signari petiverunt et ab episcopis signatoribus  
inutiles judicarentur et ad regressum hortarentur, quidam in  
cruce corporis sui stigmata crucis sibi divinitus impressa osten-  
derunt, alii eadem se habere jactabant, etiam mulierculae et  
vetulæ. Alii per candens ferrum sibi cruenter adurendo cru-  
cem impresserunt et fervor et zelus admirabilis in toto genere  
Christianorum erat. Cunctis et singulis agminibus duces et  
capitanei a principibus et episcopis praeficiebantur, toti tamen  
exercitui et omnibus agminibus praefectus fuit auctoritate  
apostolica dux et generalis capitaneus insignis et invictissi-  
mus vir, dominus Gothfridus, Gallaciae comes et dux Lo-  
tharingiae, qui tamquam alter Machabaeus cum fratribus suis  
et amicis nobilibus bellum Domini agendum suscepit habebatque  
in suo agmine multos strenuissimos bellatores, nobiles, ba-  
rones, comites et milites, quorum omnium curam in spiritualibus  
suscepit vir eximius Haymarus Padiensis episcopus. Discur-  
rebat autem praefatus Petrus per regiones et grandem et  
fortem congregavit exercitum ad quadraginta millia armato-  
rum, quos secum ducebat. Sic et alii viri praestantes pleibus  
bene visi ad se homines attrahebant, et toto triennio pro-  
fectio illa parabatur, antequam moverent se agmina. Verum  
congregabantur reges, duces, comites, barones, milites,  
militares, potentes quoque et tyranni, et comitatum rectores,  
nobiles et ignobiles, divites et pauperes, cives et villani, liberi  
et servi, saeculares et ecclesiastici, sacerdotes et monachi,  
episcopi, abbates, cardinales, religiosi et religiosae, senes et  
juvenes, vetulæ, puellæ, viduae et maritatae, (B) et in tantum  
crevit numerus exercitus Dei viventis, quod Guilielmus dicit,  
numquam tot gentes coire in unam sententiam visae fuerint  
et opinionem hominum vincebat numerus, nam quadam aesti-  
matione dicebantur sexagesies centum millia hominum praepa-  
ratorum ad bellum [?] cruce signatorum. Inter quos, ut dixi,  
eminebat dux invictissimus Gothfridus, omnium agminum capi-  
taneus generalis, sub quo diversi capitanei diversis agminibus  
sunt praepositi. Quibus ergo paratis anno Domini 1097 ince-  
perunt se movere agmina de locis congregationum suarum.

**0837**

**0817**

**0877**

**0777**

**0927**

**0727**

**0327**

**Ende**

**Anfang**

